

Johann Jacob Döbel

Programma Quo Pro-Rector Universitatis Rostochiensis Joannes-Jacobus Döbelius, Med. D. & Profess. Publ. Matronarum ... Catharinae Deutschen/ Viri ... Dn. Hinrici Sibrandi, I.U.D. ac Practici ... relictæ Viduæ Funus indicit, & ad eundum magno numero Exequias Omnium ordinum Cives Academicos officiose seduloq[ue] invitat : [P.P. sub sigillo Rectaratus, die XX. April. Anno 1668.]

Rostochi[i]: Kilius, [1668]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777440830>


Druck Freier  Zugang




Döbel, J. J.,
in
C. Deutsch,
uxor. H. Sibrand.

Rost. 1668.

42.





PROGRAMMA

Quo

PRO-RECTOR

UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

JOANNES-JACO-
BUS DÖBELIUS,

Med. D. & Profefs. Publ.

MATRONARUM clarissimæ

CATHARINÆ



Deutscher

VIRI

Nobilissimi Amplissimiq[ue]

DN. HINRICI SIBRANDI, J. U. D.

ac Practici, quin Nob. Provinciæ Staruum

Syndici celeberrimi

relictæ VIDUÆ

Funus indicit, & ad eundum magno numero

Exequias

Omnium ordinum CIVES ACADE-
MICOS officiosè seduloq; invitat.

ROSTOCHI,

Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr.



I ad palatum foret nostrum. THUCYDIDIS sententia, superfedere utiq; cā poteramus scriptione, quam paratum hodiēimus. Existimatum ipsi est illi, Virginum Feminarumvè nullam publicitūs celebrari oportere, si vellPSA maximē VIRTUS foret, aut præclaris facinoribus obstrinxisset sibi REMPUBLICAM; DEUM verò etiam hominesq; pietate atq; officiis demeruisse. Si quid dicendum fors afferendumq; pro honore sexus vilioris foret, id omne privatis seu domesticis parietibus (quos transilire grande sit nefas) continendum non aliter, ac si vinculis claustrisq; quibusdam suis obseraretur. Annus est, & nisi imponit nobis memoria, aliquantò amplius, quàm simili, quā hæc hodiē commentamur, occasione, in deliram istam jocularē quē THUCYDIDIS (cetera maximus gravissimusq; est AUCTOR.) sententiam incidere-

mus,

mus, justâ ob ineptias indignatione correpti, & fatis etiam adfertur futilitatem convellentes. Hodiè in ista quidem non tam abibimus, quam reapse (rumpantur licet THUCYDIDI Iliâ) in theatrum producemus eam MATRONAM, quæ nullas alias, nisi publicas solennesq; laudes promeretur. Fuit enim profectò planè EXEMPLAR VIRTUTUM; fuit SPECULUM, in quod curatissimè quæque intuita Feminarum jure esset; Fuit NORMA atq; REGULA, ad quam vitam quæque Matronarum suam, moresq; meritò suos composuisset. Quia negociorum mole obruimur, trahemus omnia in compendium; sed eâ lege atq; ordine, uti nil omninò detractum FVNCTÆ, isthoc pacto, honori velimus; caussaturi potius, ideò usuros methodo nos concisiori, quòd IPSA encomiis laudibusvè nostris longè fuerit excelsior, etiam iis, quibus vel abundantissimis diffusissimisq;, mortalium jam numero ereptam, summo ceteroqui jure prosequeremur. Nata hoc ipso est clarissimo loco, Anno hujusce Seculi 6 die 10 Januar. Patre VIRO Eximio Doctissimoq; DN DAVIDE Deutschen/ Amplissimi Senatus oppidani Secretario praelatè merente; Matre verò ANNA Edillinas/ Feminarum ornatissimâ, Avus paternus fuit

DN. ZA.

DN. ZACHARIAS Deutsch / non ignobilis SI-
LESIAE Civitatis (Baupen dictæ) Civis specta-
tissimus; Avia paterna, CATHARINA Hen-
sels / ipsa quoq; non minus sexus sui decus.
Avum maternum habuit Reverendum & Clarissi-
mum VIRUM DN. GEORGIUM Schilling/
Ecclesiastam Daleburgensem in Ducatu Lunabur-
gico fidelissimum, Amplissimi Consultissimique
VIRI, DN. HERMANNI Schillings / Col. Ro-
stochiensium quondam gravissimi, germanum
Fratrem. Aviam maternam, ANNAM Süde-
lings / Feminam planè ornatam ac præstantem.
Princeps Parentum ac provida cura fuit, uti mer-
ita vitæ (originalia signare siveimus) atq; adeò
regnorum cælestium extorris, per sacrum divinæ
aquæ fontem ablueretur, Christianæq; Ecclesiæ
membrum, atq; adeò futuræ etiam vitæ consors
fieret. Altera, uti eleganter, piè, pudicèq; edu-
catur. Proecedentibus annis, quâ foret indole
luculentissimè jam tum ostendit. Quando minimè
sele in pejus cotidie ruentis seculi moribus con-
formari pateretur, imposturis atq; fraudibus ab-
stineret, somnolentiam atq; desidiam fugitaret;
magno potius conanime domum addisceret gu-
bernare, providere familiæ; superioribus dicto
esse audientem; amare modestiam; pudorem.

45. 10

fic

fic præcipuè ad servare, uti ne visu quidem deli-
bari pateretur; ac ceteroquin id agere omne,
per quod conciliari decus ornamentumq; sexui
suo quiret. Hujuscemodi vivendi ratione faci-
le sui **AMATORES** reperit; & initio quidem
DN. FRIDERICUM Burlage / **VIRUM** in-
signem, & **REIP.** nostræ Civem primarium, Cen-
tum virali etiam dignitate conspicuum; cui annos
nata septem decemq; nuptia solenniter est, ac per
breve quidem, vixq; quinquennii tempus, fidis-
simè tamen suavissimequè cohabitavit. Deïn
novo operata est conjugio; reapse ostendens,
quàm minimè iteratarum nuptiarum experien-
tiam (verba **MAXIMI** sunt **VALENTII**)
illegitimæ intemperantiæ signum esse crederet,
aut secundis votis, **TERTULLIANO** hetero-
qui, Patrum Latinorum primo, nimiooperè da-
mnatis, quicquam inesse vitii arbitraretur. Jun-
xit itaq; sibi cælo planè benigno, justoq; suorum
consensu, **VIRUM** Nobiliss. & Consultissimum **L.**
DN. HINRICUM Siebran / **ICTUM**, ac Pra-
cticum, quin *Nobilissimorum Provincie Statuum*
Syndicum celeberrimum. Qui ipse totus prio-
rem geminâ felicitate superavit. Enimverò &
longe fuit stabilior, ut qui totos viginti perdurâ-
rit annos; & deïn nec suâ caruit prole, eaq; tam

nume-

numerosa, uti tredecim capitibus catalogus ab-
solveretur. Ex his una soboles ante enecta in
utero materno est, quam prodiret *in dias luminis
auras*. Dein JOANNES I. DAVID I. HINRI-
CUS, HERMANNUS I. DAVID II. & DO-
ROTHEA, acerbo meriti funere. ANNA
verò & JOANNES II. EUPHROSINA, SYL-
VESTER, HERMANNUS & CATHARINA,
divinâ superstitant gratiâ, parentisq; tam be-
nignæ ac indulgentis, tam suavissimæ ac jucundæ fu-
nera mœsti lugentesq; prosequuntur. Omnes
verò etiâ præsentis; nisi quòd Filiorum inter-
medius in recens institutâ *Londinensium* Acade-
miâ moretur, honoratissimâ conditione, ut quem
utriq; Filiorum VIR Generosus fortissimusq; DN.
JOANNES *Hård* / SVECIARUM REGIS
Generalis Gubernator, Majorq; Generalis, Epho-
rum constituerit, tam bellè fungentem officio,
uti ne excogitares quidem, cui hujuscemodi
PARENS provinciam commodius impossuisset.
Quæ res MATRI eximia lætandi gratulandique
caussa fuit; longeq; adhuc major, quum eo in
studiis progressum usq; videret JOANNEM,
natum inter Filios grandiozem, uti summâ cum
laude utriusq; juris DOCTOR publicitus non
ita pridem crearetur. Nec à virtutis isto tra-

mite

mite deduci sese unquam patieturis, qui è Fra-
tribus ultimus est, sed premer majorum ipse
quoq; vestigia, dabitq; adeò operam, uti, si vel
maximè ætate sit vilior, nunquam tamen vel
virtutis, vel etiam conditionis minutioris fuisse
videatur. Adeò laudem honoremq; nacta est
NOSTRA è Filiis. Nec quicquam passa in
Filiabus est dehonestamenti, ut quæ omnes ex-
cellentissimis matrimoniis ornarentur. **ANN**
enim, clarissimum sexus sui lumen, Anno seculi
50, die 7 Maij, Nobilissimo Amplissimoq; **VIRO**,
DN. MATTHÆO Stebeherten/ JCro, ac tum
Regio Consiliario, nunc Rostoch. Cos. ac Syndi-
co gravissimo, vero isti labascentium rerum no-
strarum tibiçini, ac **IPSI SALUTI PUBLI-**
CÆ, nupta, duarum Filiolarum, & gemella-
rum quidem, **SOPHIÆ & CATHARINÆ**,
sed mox post natiuitatem sacrumq; baptismum,
faro functarum suo, facta hactenus mater. **Al-**
tera EUPHROSINA, Feminarum splendor
ac gloria, Anno 60, die 25. Septembr. **VIR O**
Consultissimo & Amplissimo DN. JOANNI
Buden/ J. V. D. ac Practico clarissimo elocata,
quem etiam 4. liberorum parentem fecit, ceu
JOANNIS HINRICI, GEORGII ERIDERICI,
& **EUPHROSINÆ CHRIS TINÆ**, etiamnum

viven.

viventium; quarta verò ANNA-CATHARINA
mensē saltem nata unum, diesq; octo, cælos,
i. e. originem suam repetit. Superest Filiarum
tertia & ultima, CATHARINA, Femi-
narum speciosissima, ac Veneris Gratiarumque
luculentum opus, VIRO Nobilissimo, Am-
plissimo & Consultissimo DN. GEORGIO
RADOVIO, J. V. D. ac Prof. hodiè Ma-
gnifico Acad. RECTORI, qui Statuum pro-
vincialium Syndico eximie cotidie merenti, fau-
stissimo fidere (nisi quod *annua* hactenus pre-
mat torum) juncta. Ceterum progrediendum
est ad alia, ac dispiciendum præcipue, quo pa-
cto vitam NOSTRA suam egerit, fineritq;. Ex
discessu alterius MARITI acerbissimo quodam
calamitatis genere attinebatur. Quodq; ex re
ipsâ non potuit, è tempore tandem levamen
petiit, solata crucem, aut dolorem mitigans,
quantâ potuit ratione unquam; nilq; magis re-
nuens, quàm tertiis nuptiis (in quibus nil tamen
ipsis est etiam vitii) implicari. Totos itaque
XXI propemodum annos vidua, omni eo, quod
mundanum adeoq; ludicrum foret, valere jussu,
DEO cæloq; vacavit, i. e. ita egit, uti sancte sem-
per, incorrupte, sineq; notâ ac fabulâ viveret,
nilq; committeret unquam earum rerum, per

quas

quas adspergi nomini suo labe ac macula qui-
ret Enimvero quæ cadere in istum sexum vir-
tutes solent, eas omnes à primâ jam ætate
(uti supra monebamus) induerat animo, per-
petuoq; in vitâ ita expresserat, ut pariter &
præterisse plures alias, & simul seipsam supe-
ravisse quodammodo existimaretur. Pietatis
autem studia atque exercitia, quanquam et-
iam ista nunquam ante neglexerat, omnium
tamen maxime iis coluit temporibus, quibus
sola sineque esse Marito iussa est. Norat virtu-
tem esse eam, quæ ad omnia utilis, promissis
hujus ac venturæ vitæ stiparetur. Publicis sa-
cris ac concionibus, summâ semper devotio-
ne (nisi fors impedimentum valetudo obje-
ctaret) interesse visa; sed & domi assidue cum
familiâ, interque operas muliebres, tum ca-
nere, tum de rebus divinis loqui, nec quic-
quam unquâ auspicari, quod imponeret mu-
neris ratio, priusquam Deo reddidisset suum.
Si quem porro laborare è proximis, aut opis
indigere suæ intellexerat, largissimè juvit,
uti ipsius propemodùm liberalitatis præcor-
dia habuisse videretur. Quæ ab utroque Ma-
rito, quin Socero, DN. D. JOANNE SIBRAN-
DO, VIRO summo, ac Professore celeberrimo

mo &c.

mo &c. legata ad pias causas erant, sedulo confirmavit, ac studiosè, ubi usus exposceret, in rem contulit. Quæ magnæ profectò in NOSTRA dotes fuere, documentumque dedere oppidò illustre, non planè effectum Seculum nostrum gignendis virtutibus esse, & adhuc magna edere exempla posse, ne sola, antiquitas de *Marcellis Paullinisq;*, aut hujusmodi generis pluribus aliis, gloriari habeat. Plinius eximie; *Sum ex iis, inquit, qui mirer antiquos; nec tamen, ut quidam, temporum nostrorum ingenia despicio. Nequè enim quasi lassæ & effæta natura, ut nihil jam laudabile pariat.* C. Tacitus, sapientissimus gravissimisque Auditor æquè præclare: *Rebus cunctis inest quidam velut orbis, ut, quemadmodum temporum vires, ita & morum vertantur; nec omnia apud priores meliora, sed nostra quoque ætas multa laudis & artium imitanda posteris tulit. Idem: Nullum adeò virtutum sterile seculum est, ut non & bona exempla prodat. Vitia erunt donec homines; sed neque hæc continua, & meliorum interventu pensantur. Sed properamus tam ad commentationis, quam NOSTRÆ finem.* Ante 3. circiter septimanas corripit ardenti febre (varia ipsa secum trahere visa,

sympto-

symptomata) cepit. Quæ pertinacissime hæsit, adeoque incubuit vehementer, uti vires MATRONÆ maximam partem prosterneret. In subsidium advocati continuo MEDENTUM Filii, VIR Experientissimus & Excellentissimus DN. D. JOANNES BACMEISTERUS, P. P. Collega noster honoratissimus; & DN. D. GEORGIUS Detharding; ceterum non alio eventu, quam uti hæc nobis scribendi necessitas imponeretur. Adeo omni ope humanâ malum fuit validius. Igitur cum hæc non procederet, aliâ rem viâ aggredi adlubuit. Accersitusq; est, qui animæ mederetur, VIR pl. Rev. & Clarissimus DN. M. REMBERTUS Sandhagen / Ædis Nicolait. Pastor vigilantissimus. Hic errores fassam suos absolvit; porrexit etiam clinicæ sacra mysteria (in quorum usurpatione ante hæc etiam fuerat frequentissima) ipsaque non diu post, quum suis omnibus valedixisset, in incredibili constantiâ, fide, pietate, placidè, sensibusq; omnibus integra, in DOMINO obdormivit, XI. hujus Mensis Aprilis, circa 7. matutinam, ætatis anno tertio & sexagesimo, i. e. ipso magno climacterico. Quem tamen in moriendi negociis vel nulli

Jan.


lum, vel oppidò minutum habere momentum
arbitramur; aut si aliã fors, quondã fuimus len-
tentia, ejuravimus continuo, postquam, quæ
maximus SALMASIUS super isthoc capite,
perculiari, eoq; immortali libello differuisset,
lectitassemus. Vos jam, CIVES ACADEMICI,
uti incomparabili MATRONÆ frequentes
eatis exequias, idq; & ob ipsiusmet inu-
sitatas virtutes, & in honorem nobilissi-
mæ celeberrimæq; Familix faciatis,
officiosè abs nobis seduloquæ
rogamini.

P. P. sub sigillo Rectaratus, die XX. April.

Anno 1668.

**Convenietur in Æde Div. NICOLAI,
horâ I pomerid.**







symptomata) cepit. Qu
 hæsit, adeoque incubuit ve
 res MATRONÆ maxin
 sterneret, In subsidium a
 MEDENTUM Filii, V
 mus & Excellentissimus DI
 BACMEISTERUS, P. P. C
 noratissimus; & DN. D. C
 tharding; ceterum non ali
 uti hæc nobis scribendi nec
 tur. Adeo omni ope hu
 validius. Igitur cum hæc
 aliã rem viã aggredi adlub
 est, qui animæ mederetur,
 Clarissimus DN. M. REMI
 hagen / Ædis Njcolait. Past
 Hic errores fassam suos abs
 iam clinicæ sacra mysteria
 patione ante hæc etiam fuer
 ipsaque non diu post, quã
 ledixisset, in incredibili cor
 rate, placidè, sensibusq; on
 DOMINO obdormivit,
 Aprilis, circa, matutinam,
 & sexagesimo, i. e. ipso mag
 Quem tamen in moriendi

acissime
 , uti vi
 em pro
 continuo
 rientissi
 ANNES
 ster ho
 IS De
 quam
 ponere
 um fuit
 cederet,
 rstitusq;
 Rev. &
 Sand
 cissimus,
 exit et
 m usur
 tissima)
 ibus va
 de, pie
 gra, in
 Mensis
 o tertio
 terico
 vel nul
 lum,

